

mo ventre paululum versus posticam partem, unam post anum triangularem, unam triangularem ac latam in summitate dorfi, duriusculis spinis suffultam, et huic fere contiguam alteram in posteriore parte dorfi oblongam, quae aequalis fere latitudinis, atque ad exortum paene caudae protrahit. *Cauda* constat pinna fere quadrata et lata. *Parvulis* rotundis squammis totus vestitur, coloris per totum argentei splendentis, cui tamen in dorso aureus transplendet, et ad tactum videtur laevis. *Pinnae et Cauda* ut et venter alblicant. A summitate autem branchiarum per medium latus ad caudae exortum tendit linea argentei coloris. *Capitur in mari*, ac optimi est saporis.

URIBACO, piscis dorso incurvato, ventre protuberante, quindecim aut sedecim digitos longus, quinque, aut sex altus, ubi altissimus. *Caput et os obtusum*, conum referens triangularem; dentes parvuli, acuti, lingua lata: branchiae ampliae in triangulum desinentes: *Oculi dupli stuferi magnitudine*: pupilla crystallina, circulo argenteo, cui aliquid cinnabri mixtum est. *Pinnae* habet sex, nimirum post quamlibet branchiam, unam longam triangulum acutum referentem, sed exterius paulum circinatam: sub his in infimo ventre duas triangulares, anterius firma spina munita: post anum unam oblongam, in exteriori ambitu circinatum, molliusculis spinis per medium suffultam, anterius autem dura et acuta spina: a summitate autem dorfi ad exortum fere caudae pinna latiuscula,

la, latitudinis fere ubique aequalis, et acutis spinis sustentata. *Cauda* itidem lata in duo veluti cornua distenditur. *Vestitur* squammis magnis, in totum argentei coloris, sed cui parum cinnabrii translucet. *Pinnae laterales*, et infimi ventris albae seu argenteae, dorsalis et cauda plus cinnabrii, quam argentei habent. A summitate denique branchiarum ad caudam usque (paulum arcuatim) tendit linea rubra, et supra eam in posteriore parte corporis, in utroque latere maculam habet nigram magnitudine grossi misericordie. *Capitur in mari*. *Edulem* habet carnem et bonam.

Guarerva, piscis corpore lato, compressoque, quatuor digitos longo, tres lato, ubi latissimus, ore patulo, denticulos minutis. *Pinnae* habet sex, nimirum postbranchiales duas, parallelogrammi figura; duas oblongas et latae in superiori dorso, et infimo ventre posteriori, quae in acumen desinunt, figura subulae. *Cauda* quadrata, seu potius parallelogramma, unum digitum longa, et duas tertias partes digitii lata. *Squammulis* tegitur nigri coloris splendentis instar bombycini, quarum orae (quarundam tantum, non omnium) fimbrias habent flavas instar semilunularum. *Pinnae omnes nigrae*. Circa os linea crassa est ferrei coloris, et alia illi perpendiculariter superposita. Corpus tres lineae latae ambiant, quarum duae per latas et posticas pinnas extenduntur; (caudam etiam talis linea fecat, et ejusdem coloris) una pro fimbria ipsi est. *Oculorum pupilla nigra*, circulus aureus.

CAPVT XVII.

De Camaripuguacu, Piratia pua, Cirema, Parati, et Aramaca.

TAB.
XXXV.

10.

Marcgr. H.
Braſil. l. 4.
c. 18.

Camaripuguacu, piscis dorso recto, ventre paululum extuberante; pinguis ad tactum et revera. *Caput* habet anterius acuminatum, os amplum, edentulum, quod in rotundum dividere potest, nimirum superiore mandibula, inferiori immota permanente, ita ut duos pugnos humanos juxta se, vel etiam humanum caput possit admittere. *Lingua* habet conicam, crassam, superior autem mandi-

bula brevior est inferiori, ita ut clausum superius habeat: *Oculos* latiores Imperiali, rotundos, crystallinos, et argenteos, branchias amplissimas. *Longitudinem* adipiscitur undecim aut duodecim pedum, crassitatem viri. *Pinnae* obtinet septem; duas haud procul distitas a branchiis, in lateribus proxime ventrem anteriorem, longas, triangulares; cuilibet autem harum parvula subest, quae tamen natan-